

b) Vocibus antiquis novae tribuuntur significationes; imprimis verba neutra significatione transitiva et causativa usurpantur. E. g. *εὐχαριστεῖν* (olim gratum esse, gratias agere), orationem gratiarum actionis recitare, *μαθητεῖν* (discipulum esse, instruere) discipulum facere, *παιδεύειν* (educare, instruere) castigare, punire, *δαιμων*, *δαιμόνιον* (genius, spiritus, deus minoris ordinis) spiritus malus, *κεφαλής* (capitulum) volumen, *ξύλον* (ignum) arbor, *σχολή* (otium, tempus) schola etc.

c) *Voces et formae rariores* aut antea nonnisi a poëtis usurpatae occurunt. E. g. *ἀλέκτωρ* gallus, *αὐθεντεῖν* dominari, *βρέχειν* rigare, *μεσονύκτιον* media nox, etc.

d) *Voces aliam, saepe longiorem induunt formam.* E. g. *ἀνάθεμα* (*ἀνάθημα*) Deo sacrum, delendum, *ἀποστασία* (*ἀπόστασις*) defectio, *βασιλίσσα* (*βασιλεία*) regina, *γιγώσκω* (*γιγνώσκω*) cognosco, *ἐκχύνω* (*ἐκχέω*) effundo, *μετοικεσία* (*μετοίκησις*) transmigratio, *όπιασία* (*ὅψις*) visio, *στήκω* (*ἔστηκα*) sto, etc.

e) *Novae voces, copulationes et terminaciones* inductae sunt; ut substantiva cum praepositione *συν* conjuncta, vel in *-μα* cadentia, adjectiva syllaba *-ινος* terminata, verba in *-ώ*, *άξω* et *ίζω* desinentia. E. g. *ἀγενεαλόγητος* sine genealogia, *πάντοτε* (*ἐπάστοτε*) semper, — *ἀλεκτοροφωνία* gallicinium, *δικαιοκρισία* justum judicium, *εἰδωλόθυτον*, *εἰδωλολατρεῖα*, *μονόφθαλμος* lucus, *σιτομέτριον* frumenti mensura, *ἀγαθονογεῖν* benefacere, *ἀποκεφαλίζειν* caput amputare, *καλοποιεῖν* recte agere, *λιθοβολεῖν* lapidibus petere, *δροποδεῖν* recte incedere, recte facere, *παραδειγματίζειν* ignominiae exponere, — *συμμαθητής* discipulus, *γέννημα* progenies, — *καθημερινός* quotidianus, — *ἀνακαινώ* renovo, *καθαρίζω* purgo, *φυλακίζω* custodiae trado, in carcerem concilio, etc.

Una sexta pars vocabulorum Novi Test. (scil. 392 substantiva, 171 adjectiva et adverbia, 319 verba) apud antiquos (classicos) scriptores Graecos non invenitur. Sed voces illae fere omnes ex vocibus antiquis derivatae sunt.

## 2. Neologismi grammaticales.

Consistunt in confusione dialectorum, neglectu multarum formarum ac regularum et inductione novarum, deinde in soloecismis et barbarismis constructionis.

a) *Quoad phoneticam. Contractio et apostrophus* in libris sacris more Attico frequentes sunt, saepe tamen ubi poni debent, (more Ionico) negliguntur. E. g. *κάγω* pro *καὶ ἔγω*, *ποιῶ* pro *ποιέω*, *ἀπὸ ἀρχῆς*; at *διτέων* pro *διτῶν*, *κατὰ ἀποκάλυψιν*. In concursu vocum *aspiratio*

more Aeolico tollitur, e. g. *μετ’ αὐτοῦ* pro *μεθ’ αὐτοῦ*. — Pro *σσ* Atticorum more *ττ* scribitur.

b) *Articuli usus* saepe *inconstans* est legibusque caret; tum articulus contra omnes logicae et grammaticae regulas usurpat, tum illegitime omittitur. Causae hujus fluctuationis sunt, praeter vim linguae vernaculae, graecitas versionis Alexandrinae Judaeis inhaerens, et fors lingua Latina, articulo carens.

Articulus saepe *adverbios* (et locutionibus adverbialibus) vel *genitivo* preeponitur et ad nomen vel participium (verbi *esse*) tacitum spectat. E. g. *ἐν τοῖς τοῦ πατρός μον* sc. rebus; *ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* sc. existens, *τὰ ἄνω* (sc. ὅντα) φρονεῖτε, *τὰ πρὸς τὸν θεόν*, *οἱ ἐκεῖθεν*, *τὰ νῦν*. Similia sunt: *τὰ Καίσαρος* sc. ὅντα, quae caesaris sunt, quae ad caesarem pertinent; *τὰ τῆς ἀσθενεῖας μον* ea quae infirmitatis meae (res) sunt sc. ipsa infirmitas mea. Sed *οἱ ἐκ τοῦ κτλ. qui ex* — sunt significat familiam, domesticos vel servos. (E. g. Phil. 4, 22.) Nonnunquam articulus etiam vicem *pronominis relativi* obtinet; e. g. *Σαῦλος* δ *καὶ Παῦλος* Saulus, *qui* et Paulus.

c) *Nomen substantivum* multas habet abnormitates. In *declinatione* multae formae olim dialectorum propriae, vel apud antiquos scriptores rariores inveniuntur.

Nomina quaedam substantiva *duo genera* habent vel certe aliud genus, quam apud antiquos. E. g. *ἡ* et *ὁ βάτιος* rubus, *τὸ ἔλεος* pro *ὁ misericordia*, *ὁ λιθος* (lapis pretiosus) pro *ἡ*, *ἡ λιμός* et *ὁ λ. fames* *τὸ σκότος* pro *ὁ tenebrae*. — Nonnunquam etiam *heteroklisis* occurrit, id est duplex declinatio ejusdem nominativi, item *abundantia* seu duplex nominativi forma cum dupli declinatione. E. g. *ὁ σκότος*, *ον* et *τὸ σκότος*, *ονς*, *τοῖς σάββασιν* (ex *τὸ σάββατον*) et *τοῖς σαββάτοις*, *τοὺς σταδίους* et *τὰ στάδια*.

*Nominativus* (cum vel sine articulo) saepe pro *vocativo* usurpat, more Atticorum. E. g. *χαῖρε ὁ βασιλεύς* (pro *ὦ βασιλεῦ*). Ideo Joan. 20, 28. *ὁ κύριός μον* per se et per grammaticam potest esse et nominativus et vocativus. Ubi vocativus ponitur, *ὦ* plerumque deest, nisi emphasis habeat.

*Nominativus* vel *accusativus* aliquando *pro genitivo absoluto* usurpat. E. g. *ἀναβαίνων* pro *αὐτοῦ ἀναβαίνοντος*, *ἔξελθόντα δὲ αὐτόν* pro *ἔξελθόντος δὲ αὐτοῦ*.

*Genitivus partitivus* linguae Graecae biblicae satis familiaris est; sed frequenter etiam (more Hebraico) praepositionibus: *ἐξ*, *ἀπό* et *ἐν* compensatur. Genitivus partitivus, vel locutio partitiva etiam vice

subjecti indeterminati fungitur. E. g. συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν σὸν ἡμῖν; εἶπον ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

Nominativus *singularis* masc. cum articulo saepe significatione *universalis vel collectiva* de toto aliquo genere dicitur. E. g. ὁ δίκαιος = justus quisque, justi, ὁ ἀδελφός proximi.

*Terminatio*  $\alpha$  primae declinationis in genitivo et dativo sing. post  $\varrho$  et  $\iota$  saepe in  $\eta$  mutatur (more Ionum). E. g. τῆς σπειρόης, τῇ μαχαίρῃ etc. Deinde genitivus masc. ejusdem primae declinationis nonnunquam more Dorico in  $\alpha$  pro  $ov$  formatur. E. g. βορρᾶς (classice βορέας), gen. βορρᾶ pro βορέου (in N. T. et plerumque in LXX); deinde τοῦ σατανᾶ, διὰ χειρὸς Βαρνάβα.

d) *Adjectivum et participium neutrum* saepe *substantivi abstracti* obtinent vicem. (Atticismus.) E. g. τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ (ἡ μωρία), scil. consilia Dei, quae hominibus stulta videntur; τὸ περισσὸν τοῦ Ἰωδαίου praestantia Judaei, τὸ γνωσθὸν τοῦ θεοῦ notio Dei sc. de Deo, τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ invisibilia Dei i. e. in Deo.

e) *Pronomen personale* 3. pers. plerumque per αὐτός, αὐτή, αὐτό exprimitur. E. g. Marc. 2, 25. 5, 40. Luc. 4, 30. 24, 28. etc.

*Pronomen possessivum* etiam sine emphasi usurpat. Loco pronominis possessivi saepe genitivus pronominis personalis ponitur. Pronomen possessivum non solum genitivum subjectivum, sed etiam objectivum significat. E. g. ἄφες τὸ δῶρόν σου; εἴπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ; εἰς τὴν ἔμήν ἀνάμνησιν in memoriam mei sc. vestram.

*Pronomen αὐτός* saepe ad substantivum suppressum vel procul in textu situm vel implicite et obscure significatum spectat. E. g. Luc. 2, 22. αὐτῶν pertinet ad Mariam et Joseph vel Jesum et Mariam; Rom. 2, 26. αὐτοῦ spectat ad ethicum sub voce praeputii intellectum.

Frequens est etiam *constructio pronominalis ad sensum*, i. e. congruentia pronominalis cum genere et numero substantivi logici non grammatici. E. g. Matth. 4, 23. Joan. 6, 9. Gal. 4, 19. Apoc. 13, 14. Matth. 1, 21. et 28, 19. etiam in Latino.

*Reflexivum* 3. pers. in genitivo et dativo plurali (ἐαντῶν, ἐαντοῖς) non solum 3. personam, ut grammatica praecipit, sed etiam 1. et 2. personam plur. significat. E. g. II. Cor. 3, 5. οὐχ δι τῷ ἑαντῶν ικανοὶ ἐσμεν, vel Matth. 26, 11. πάντοι τοὺς πιστοὺς ἔχετε μεθ' ἐαντῶν.

Loco pronominis τις (aliquis, quidam) saepe εἰς (unus) legitur. E. g. Matth. 26, 69. μία παιδίσκη; deinde Matth. 19, 16. Marc. 5, 22. etc. Pronomina ἕτερος = alter (ex duobus) et ἄλλος = aliis nonnunquam permuntantur. E. g. Matth. 16, 14. Luc. 8, 5—8. Matth. 5, 39. Joan. 19, 32.

Pro interrogativo πότερος = uter, saepe indefinitum τις vel τις ἐξ (ἀπὸ) τῶν δύο invenitur. Multa pronomina interrogativa omnino desunt.

f) In conjugatione *verborum* plures formae, partim novae partim longiores partim contractae ortae, aut e dialectis assumptae sunt. Eas enumerare nimis longum, et quem plerumque haud difficulter intelligantur vere supervacaneum esset. Sufficiant aliquot exempla. E. g. κάθον pro κάθησο (imper.) ἔδωκα pro ἔδων; Ionicum εἴπα pro εἴπον, Doricum ἤτω pro ἤστω; deinde syllaba ultima imperativi per apocopen resecta: κατάβα ἀπὸ τοῦ σταντοῦ more Ionico pro κατάβαθι.

Pro forma regulari et simplici saepius more Attico (vel Hebraico) *participium cum verbo substantivo vel alio verbo finito* usurpat. E. g. ἦν θέλων pro ἦθελε, ἐνθέθη ἐν γαστρὶ ἔχοντα, etc.

Modus *optativus* rarissimus est. Conjunctionibus pro conjunctivo aut optativo plerumque modus *indicativus* adjungitur. E. g. ἵνα indic. praeſ., σταν indic. praet. etc. Praesertim in lingua Graeca Iudeorum usus conjunctionum saepe linguam Hebraicam et Aramaicam imitatur, ut supra vidimus.

Pro verbis *mediis* lingua Graeca biblica verbis activis, cum pronomine reflexivo ἐαντόνιον conjunctis utitur.

g) Propositiones *subordinatae et periodi*, generatim constructiones contortae et artificiales, libris sacris, praesertim historicis absunt. Plurimi autem neologismi linguae Graecae Iudeorum syntactici pro veris hebraismis sunt habendi.

### B) Latinismi.

Quum tempore scriptorum N. T. lingua Latina per totum imperium Romanum esset diffusa, et quidam N. T. auctores (Marcus, Petrus, Paulus) diu multumque Romae commorati essent, Marcus et Paulus plane Romanis scriberent: non est mirandum, si multae voces ac phrases Latinae in linguam Graecam N. T. irrepserunt. Hujusmodi latinismi in omnibus libris Graecis ejus aetatis crebrius inveniuntur, quin etiam in lingua Chaldaica Talmudis frequenter occurunt. En nonnulla exempla.

a) *Verba* (prope omnia substantiva) *Latina*: ἀσσάριον = as, δηνάριον denarius, et alia nummorum nomina; κεντονότων vel κεντυνότων centurio, κῆνσος census, κοδράντης quadrans, κονσταδία custodia, λεγεών legio, λέντιον linteum, μιλιον milliarium (mille passus), μόδιος modius, πραιτάριον praetorium, σονδάριον sudarium, φραγέλλιον flagellum, φραγέλλειν flagellare, etc.

b) *Phrases Latinae*: δὸς ἐργασίαν da operam, ἔχε με παρηγημένον habe me excusatum, ικανὸν λαμβάνειν satis accipere, τὸ ικανόν την ποιεῖν satisfacere, συμβούλιον ἔλαθον consilium fecerunt, etc.

### C) Christianismi.

Religio Christiana partim novas ideas in mundum introduxit, partim antiquarum vocum significationem immutavit. Ideo auctores N. T. aut novas voces ac locutiones inducere, aut vocibus et phrasibus jam usitatis novas significationes superaddere coacti sunt. Huc pertinent:

- a) *Novae voces Graecae aut novo sensu usurpatae* (etiam Latinae). E. g.  
ἄγιοι, sancti scil. Christiani a peccatis mundati et ad vitam sanctam destinati.  
ἀμνὸς τοῦ θεοῦ agnus Dei de Christo.  
ἀντιχοιστος Christi adversarius.  
ἀπολύτωσις redemptio per Christum.  
ἀπόστολος apostolus.  
βάπτισμα, βαπτίζειν, de baptimate Joannis, Christi et de sacramento.  
βασιλεία τοῦ θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, τοῦ χριστοῦ i. e. ecclesia.  
δικαιοσύνη, δικαίωσις justificatio sensu dogmatico.  
διάκονος, ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος ut gradus hierarchici.  
ἐπιλεκτοὶ Christiani, praedestinati.  
ἔργα opera, apud S. Paulum opera caeremonialia legis Mosaicae, apud S. Jacobum opera moraliter bona.  
εὐαγγέλιον nuntium redemptionis, doctrina Christi (postea biographia Christi). Similiter εὐαγγελίζεσθαι.  
καλεῖν vocare ad religionem Christianam vel ad apostolatum.  
ἡ κυριακὴ ἡμέρα dies primus hebdomadae (aliquando dies judicii).  
τὸ κυριακὸν δεῖπνον coena dominica, eucharistia (una cum agapis).  
λόγος apud S. Joannem secunda SS. Trinitatis persona.  
μυστήριον arcanum Dei, sacramentum (sensu theologico).<sup>1</sup>  
πίστις, πιστεύειν εἰς fides, credere (in) sensu Christiano, i. e. fides viva  
(apud profanos fiducia, honestas, fidelitas, etc.).  
πνεῦμα ἄγιον, θεοῦ, τοῦ πατρός, χριστοῦ tertia SS. Trinitatis persona  
ὑψοθῆναι apud S. Joannem exaltari seu crucifigi.

<sup>1</sup> Ipsa vox sacramenti apud profanos juramentum militare vel obligationem significat.

χάρις gratia significatione theologica.

χριστός Messias.

χριστιανός Christi fidelis.

b) *Novae aut novo sensu usurpatae phrases.*

ἀπόθεσθαι τὸν παλαιὸν ἀνθρώπον deponere veterem hominem i. e. pristinum habitum flagitosum relinquere.

τὸν ἄρτον ωλᾶν (ωλάσαι) panem frangere i. e. eucharistiam celebrare  
(לְמַחְמֵד פָּרָס = panem frangere seu distribuere).

ἐνδύσασθαι χριστόν Christum induere i. e. doctrina, virtutibus atque gratia Christi imbui atque ornari.

ἐπιιδέναι χεῖρας sacramentum confirmationis vel ordinis impertire.

Praeterea in lingua S. Scripturae Graeca aliarum etiam linguarum peregrinarum voces inveniuntur. Ita *persismi*, e. g. παράδεισος, paradise, saeptum venationis seu vivarium, ἀγγαρένειν cogere (more tabellariorum seu cursorum Persicorum ad equum vel currum commodandum cogere aut vehiculum vi ad usum rapere), γάζα thesaurus, aerarium,<sup>1</sup> μάγοι sapientes, μαγεύων artem magicam exercens, etc. Quidam etiam *cilicismsos* (locutiones Cilicienses in epistolis Paulini) et *arabismos* in S. Scriptura se deprehendisse asseverant; quod utique facilius dicitur quam probatur.

### § 26.

#### Fontes consuetudinis loquendi Hebraicae, Chaldaicae et rabinicae.

Consuetudo loquendi biblica, utpote mortua, ex testimoniis historicis cognoscenda. In praxi autem illi, qui hodie linguas biblicas mortuas discere volunt, grammaticas, lexica aliaque opera philologica consulunt. Hujusmodi opera sunt fontes sermonis obvii, quos infra enumerabimus. Sed quum haec ipsa opera saepe vacillent atque inter se repugnant: ei, qui eruditam et fundatam sensus biblici scientiam exoptat, frequenter recurrentum est ad fontes ipsos primarios, e quibus recentiora opera philologica hauserunt. Imo omnibus, qui saltem explicationes et argumenta aliorum intelligere atque expendere volunt, aliqua ipsorum fontium cognitio est necessaria.

1. — *Fontes consuetudinis loquendi Hebraicae et hebraizantis.*

a) *Ipse textus originalis S. Scripturae A. T.*, qui solus est fons immediatus; omnes sequentes mediati.

<sup>1</sup> Sed nomén urbis Gazae גָּזָה fortasse derivatur e radice Hebr. גָּז munivit.

b) *Versiones antiquae textus Hebraici immediatae*, nominatim versio Graeca Alexandrina, versiones Graecae Symmachi Theodositionis et praecipue Aquilae verborum tenacis, item reliquae versiones hexaplares; deinde paraphrases Chaldaicae (targumim), versiones Samaritana, Syriaca (Pešito), Coptica, Latina (Itala et Vulgata) et Arabica (quam fecit Sa'adja Gaon).

Fides et auctoritas illarum versionum in consuetudine sermonis eo major est quo melius auctores linguam Hebraicam vel Chaldaicam sciverunt, quo antiquiores sunt, quo accuratius litteris haerent, quo minus ex rationibus dogmaticis vel polemicis consuetudinem loquendi neglexerunt et quo integror textus versionum permanxit. Proh dolor, versionis Alexandrinae, aetate omnium primae, textus mendis librariorum est vitiatus et ipsa similiter aliis versionibus significationem saepe falsam vel nimis vagam exhibet.

c) *Scriptores antiqui*: Josephus Flavius, Talmud et antiqui Judaeorum commentarii (midrašim), dein S. Patres (praecipue Origenes, S. Hieronymus), qui textum Hebraicum aliquando citare, vertere vel explanare solent. (Josephus tamen et Patres plerumque versione LXX. utuntur).

d) *Scripta rabbinorum medii aevi critica, philologica et exegetica.*

Magnum opus rabbinorum *criticum* est *Masorâ*.

Grammatici Judaei sunt sequentes. Jehudâ ben David Chajjuğ Hispanus (circ. an. 1000), Jonâ ibn Ganach (Abul-walid Merwan) Hisp., qui grammaticam Hebraicam lingua Arabica scripsit annis 1050—55.; Abr. ben 'Ezra seu Abenezra († 1167), Jos. Qimchi (saec. XII.), et Mos. Qimchi (circ. 1200.) Sed omnibus antecellunt: David Qimchi seu Radaq († 1235), qui optis grammaticum sub titulo *mikhlol* מילול composuit, et Elias Levita († 1549), qui scientiam linguae Hebraicae inter viros doctos Christianos propagavit.

*Lexica Hebraica plus minus completa et bona confecerunt sequentes.* Sa'adja gaon († 942), Jehudâ ben Chajjuğ, *Menachem ben Saruq* (saec. X—XI), qui primum lexicon Hebraicum proprie dictum scripsit, sed legem radicum trilitterarum nondum noverat; Jonâ ibn Ganach qui praeter grammaticam etiam lexicon Hebr. arabice composuit (an. 1050—55) sub titulo *Liber radicum*; R. Salomo ben Abr. *Parchon* († 1160) praeter opus grammaticum etiam lexicon scripsit, cui titulus est 'Aruk. Omnium autem celeberrimus est David Qimchi, cuius lexicon inscribitur *Liber radicum*, קְפֵר הַשְׁרִישִׁים quod opus fons est principialis lexicographiae Hebraicae.

*Commentatores* autem meliores, qui multas voces explanarunt, sunt: Raši (Jarchi), Abenezra, Jos. et David Qimchi et alii, de quibus infra in historia interpretationis Judaicae sermo fiet.

Meminerit tamen lector, in lexicis et commentariis rabbinorum medii aevi praeter doctrinam ex traditione scholarum haustam, conjecturas quoque incertas inveniri; quapropter eorum dicta in quaestione de consuetudine sermonis Hebraici argumenta peremptoria non sunt.

2. — *Fontes consuetudinis loquendi Chaldaicae et chaldaizantis.*

a) Partes S. Scripturae lingua Chaldaica scriptae.

b) Inscriptiones cuneatae novi regni Babylonici, lingua Babylonio-chaldaica exaratae, recentius in lucem protractae.

c) Paraphrases Chaldaicae (targumim) antiquiores.

d) Partes Talmudis chaldaice scriptae (gemara) et antiquiores commentarii (midrašim).

Hi omnes sunt fontes immediati seu coaevi sive linguae Chaldaicae bibliae, sive recentioris Aramaicae. Fontes autem mediati sunt

e) scripta medii aevi Chaldaica.

3. — *Fontes rabbinismorum* praeter S. Scripturam N. T.

a) Josephus Flavius.

b) Talmud (mišnâ et gemara).

c) Antiqui commentarii Bibliorum (midrašim etc.) et Talmudis.

Praeter hos fontes immediatos fontes mediati sunt

d) scripta rabbinorum medii aevi.

4. — *Subsidia* consuetudinis loquendi Hebraicae sunt etymologia, analogia linguae et dialecti cognatae: Chaldaica (Aramaica), Syriaca et Arabica. Lingua Aramaica ad Hebraicam proxime accedit, Arabica remotior est. Ideo cavendum est, ne significaciones et analogiae Arabicae linguae Hebraicae temere ac vi ingerantur, ut saeculo XVIII. a schola Schultensiana factum est.

*Adnotatio.* Scientia linguae Hebraicae usque saeculum XVII. et apud Judaeos et apud Christianos traditione scholarum Judaicarum erat innixa. Haec erat *methodus traditionalis*, cuius usu maxime Joan. Reuchlin († 1522) et Joan. Buxtorf sen. († 1629) excelluerunt. — Saec. XVII. iuvaluit *methodus harmonica* seu *comparatio externa*, quae traditionem Judaeorum rejicit, comparationem lexicalem cum aliis linguis etiam non cognatis, formam et significationem vocum, non radices spectantem, induxit, qua consuetudinem sermonis Hebraici invenire ac corrigerem voluit. Ita Val. Schindler (1612), Lud. de Dieu (1624), J. N. Hottinger (1649) et Edm. Castelli (1669). — Ineunte saec. XVIII.

alii traditione et comparatione linguarum externa repudiatis, sermonem Hebraicum per *comparationem internam* e seipso, scil. ex analogia, monumentis et etymologia constituere adnixi sunt. Ita Jac. Gussetius (1702), Casp. Neumann (1696—1715), Val. Loescher (1706).

Paulo post *schola Belgica* seu *Batava*, cuius auctores fuerunt Alb. Schultens (*Institutiones ad fundam. linguae Hebr.* Lugd. Bat. 1737. et *Origines Hebr.* 1723—37. Ed. II. 1761. auctor † 1750) et Nic. W. Schröder († 1798) tum traditionem, tum *comparationem internam* impugnavit, et *comparationem dialectorum* introduxit. (*Method. comparativa.*) Similem viam trivit J. Jahn. Etiam J. Olshausen linguam Hebraicam e praesumpta lingua Semitica primitiva, Arabicæ antiquæ simili conatus est explicare. Studium tamen hoc graves errores peperit. Schola Schultensiana linguam Aramaicam plane neglexit, Arabicam omnibus subsidiis, immo fontibus ipsis praetulit, vocabulis Hebraicis significationes Arabicas supposuit, et ita interpretationes arbitrarias ac falsissimas produxit.

Aetate recentiore Guil. Gesenius († 1842) *methodo empirica* i. e. monumentorum linguae studio, H. Ewald († 1875) *methodo philosophica* seu rationali naturae linguae examine, alii autem alia via immoderato arabismi usui modum imponere conati sunt. Optime tamen de philologia Hebraica meruit schola *historico-analytica* (Jul. Fürst, F. Delitzsch), quae traditionis studium cum comparatione interiore et exteriore conjungit.

### § 27.

#### Fontes consuetudinis loquendi Graecæ biblicæ.

Quum consuetudo loquendi biblica Graeca (praeter pauca verba Latina, ex fontibus linguae Latinae notissima) triplex habeat elementum: Graecum commune, Hebraico-graecum et Christianum; horum fontes singillatim enumerandi sunt. Fontes isti sunt uberrimi et plerumque immediati.

##### 1. — *Fontes dialecti communis* (et vulgaris).

a) *Scriptores Graeci recentiores*, qui aliquot saeculis ante et post Christum scripta ediderunt, et eadem vel simili dialecto ac libri sacri utuntur.

Tales sunt *Thukydides* historiographus saec. V. a. Chr., *Polybius* saec. II. a. Chr., *Diodorus Siculus* et *Strabo*, uterque saec. I. a. Chr., *Plutarchus* circa 100. post Chr., *Arrianus* sub Hadriano (117—138. post Chr.), *Herodianus* circa 200. post Chr. Huc adde *Sanctos Patres* et alios *scriptores ecclesiasticos* primorum saeculorum.

b) *Versiones antiquæ in Graecum vel e Graeco factæ.*

c) *Grammatici et lexicographi* (item glossatores et scholiastæ) antiqui et medii aevi, qui partim ex lingua adhuc viva, partim e fontibus antiquioribus deinceps perditis linguae scientiam hauserunt.

Eorum praecipui sunt sequentes: *Hesychius* saec. III—V. post Chr. Alexandriae vivens, qui lexicon Graecum composit (typis vulgatum Lugd. Bat. 1746—66. Lipsiae, 1792. Jenae, 1860 et 1867); *Photius* patriarcha Constant., qui saec. IX. lexicon Graecum scripsit (editum Lipsiae 1808, Londini 1822, Lipsiae, 1823); *etymologicum magnum* ignoti auctoris e saec. X. vel XI. (Venet. 1549. Lipsiae, 1816—20); *Suidas* grammaticus saec. X—XII. florens, qui celeberrimum lexicon Graecum confecit (Cantabr. 1705. Oxon. 1834. Hal. 1853. Berol. 1854); deinde *Zonaras* saec. XI—XII. (Lipsiae, 1808) et *Phavorinus* saec. XVI. (Romae, 1523, Basil. 1538, Venet. 1712) pariter lexicorum Graecorum auctores.

##### 2. — *Fontes linguae Graecæ Judæorum.*

a) *Libri sacri A. et N. T. graece scripti.*

b) *Versio LXX* a Judæis confecta, quæ non solum linguam Graecam Judæorum nobis exhibit, sed etiam ipsa apud Judæos diligenter lecta multum contulit ad linguam Graecam Judæorum et Novi Test. auctorum. Similem utilitatem praebet *versio Aquilæ.*

c) *Philo* et *Josephus Flavius* auctoribus Novi Test. fere coaevi et saepe rerum biblicarum mentionem facientes vel eas describentes.

Imprimis ex operibus Josephi multa in libris sacris intelligimus, e. g. significationem vocum judaizantium: *βασιλεύς* homo aulicus, *ἐφημέρα* classis sacerdotum ministerio diurno fungens, *χολός* magistratus et tribunal provinciale. Philo nos docet significationem vocis *έγκαλνα*, festum dedicationis (25. kisley).

d) *Apocrypha Vet. et Novi Test. Graeca* (ex parte) a Judæis vel Judæo-christianis et quidem primis post Christum saeculis conscripta.

##### 3. — *Fontes christianismorum.*

a) Ipsi *libri sacri N. T.* quorum unus locus alterum illustrat.

b) *Versiones antiquæ Graecæ a Christianis confectæ*, et aliae versiones e Graeco factæ.